

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Immanuel Bvtyro Ac Melle Vescens

Fickelscherr, Peter Fickelscherr, Peter

[Jena], MDCCXXV

VD18 13253670

urn:nbn:de:gbv:45:1-13663

35.

18

IMMANVEL
BVTYRO AC MELLE
VESCENS

MEDITATIO SACRA
AD
FESTVM
NATIVITATIS CHRISTI
PIE CELEBRANDVM
IN ACADEMIA IENENSI
PROPOSITA.

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.



DEI GRATIA

GVILIELMVS HENRICVS

DVX SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE, PRINCEPS COMES HENNEBERGIAE, COMES MARCHIAE ET RAVENSBERGAE, SAYNAE ET WITGENSTEINII, DYNASTA RAVENSTEINII

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

GRATIAM ATQVE PACEM

AB

IMMANVELE
VIRGINIS FILIO

ADPRECATUR

CIVIBVS.



GVIL
DVX SAX
TIVM,
LANDGRA
MISNIAE
GIAE, CO
GAE, SA

RECTOR
M
GR

RICVS
AE, MON-
HALIAE,
ARCHIO
NNEBER-
ENSBER-
II, DY-
NENSIS
M





Q. D. B. V.



Vae de natiuitate seruatoris nostri, diuini olim cecinere vates, vt nemini nisi sancti spiritus adflatu collustrato in mentem venire potuerunt; ita in legentium animis, si modo rite attendant, non possunt non admirationem quamdam, & summae istius, quae in his relict, sapientiae profundam excitare venerationem. Illustre autem cumprimis est illud, quod ad titubantem metuque perculsum Achazi regis animum erigendum Esaias edidit vaticinium; quod etsi illis, quorum mentibus aut impietas, aut rationis, in omnia imperium sibi adserentis, fastus, caliginem obfundit, occasionem praebet, dubiorum laqueis se inuoluendi, ex quibus se expedire nequeunt; illis tamen, qui pia mente sacra perscrutantur oracula, ineffabilem adfert delectationem, eosque suauissimo solatio perfundit. Possemus hoc luculenter copioseque demonstrare, sed cum omnia persequi nobis non liceat, haecce tantum constitutum est paucis ponderare verba: *butyrum & mel comedit, vt sciat eligere bonum & repudiare malum; Esai. VII. 15.* Argumentum enim inde pie meditationis, nec alienae ab hocce tempore, nec indignae illis, qui litterarum sacra colunt, recte capiemus.

De filio virginis, qui IMMANUEL vocandus erat, & cuius natiuitatem hic propheta praedicit, haecce intelligenda esse verba, vix dubitabit, qui cuncta rite pensitauerit. Iudaeorum enim magistros, * aut de Esaiiae filio, aut de rege Ezechia, vel nescio quo Achazi filio, totum hocce oraculum interpretantes, si quis audire vellet, perinde ageret, ac qui in ignota regione hominem caecum, aut viae ignarum, ducem itineris eligeret. Et

A 2

hos

* Legendus de iis PETRVS DANIEL HVETIVS, qui tamen ipse & ad Esaiiae filium, & ad Messiam simul, oraculum hocce refert, demonstrat. euangel. part. I. propof. VII. p. 528.

hos tamen nonnullos, qui christiani videri volunt, sequi, horumque premere vestigia videas; plane ac si lux apud eos quaerenda esset, qui in tenebris ipsimet versantur, densissimaque caligine. Ipsum HVGONEM GROTIUM virum cetera summum ** hoc fecisse constat, nisi ex FAVSTI SOCINI schola peruersam hanc retulit mentem, quem certe praeuentem sibi habuit. Non eodem habendi loco, quamquam itidem rem acu non tangant, qui ea, quae vates diuinus de filio virginis, IMMANVELIS nomine condecorando, dixit, de Messia seu Christo hominum redemptore accipiunt, simul tamen subito sermonem mutari & ad Schear-Iaschubum Esaiiae filium, quem forte praesentem digito velut monstrauerit, transferri, contendunt, qui butyro & melle more aliorum liberorum sit alendus, vt pacis tranquillitatisque publicae tempore fieri adsolet, tantum abest, vt is aut alius quisquam incommodum aliquod sit subiturus, idque promissae Achazo liberationis, quodue a consiliis hostium nullam sibi metiendae causam habeat, signum fore. Praeter IMMANVELEM TREMELLIVM & FRANCISCVM IVNIUM, IACOBVS quoque VSSERIVS *** in hanc ingressus est sententiam. At cum in toto hoc sermone IMMANVELIS tantum fiat mentio, alium quemdam velut ex machina aduocare, de quo haecce intelligenda sint verba, durum nimis ac violentum videtur. Nec etiam pronomen suffixum in verbo sequenti *לדעתו ad sciendum ipsum seu vt ipse sciat*, de alio, quam de IMMANVELE, de quo antea loquutus fuerat, accipi potest. Et quid, quaeso, obstat, quo minus accipere liceat? Prorsus enim in Messiam haecce verba, si recte intelligantur, quadrare, quae dicemus, nos condecebunt.

Qui in eo conueniunt, de filio virginis, seu IMMANVELE hic sermonem esse, non aequae, quid *butyri ac mellis* sibi velit *es*, consentiunt. Verborum namque propriae significationi nonnulli insistunt, putantque iisdem innui, puerulum huncce virginis filium eo modo alendum, quo ali ac nutriri ceteroquin infantes solent, eum etiam in sapientia aliisque mentis dotibus, vt alii homines profecturum, idque docere verba: *vt sciat repudiare malum & eligere bonum*. Eum itaque, quem antea vt verum Deum descripserat diuinus vates, hic vt verum quoque fisti ho-

** secundum sensum quem vocant *literalem*, secundum *mythicum* enim hoc oraculum ad Christum referri posse, non negat, in *adnt.* ad h. l.

*** in *annalib.* ad annum mundi M M C C L X I I . p. 51.

hominem, cui omnia quae hominum sunt, cum reliquis infantibus futura sint communia. Addunt, ad patriae terrae, in qua ex virgine nasciturus sit, hic respici indolem, de qua non semel dicatur quod *lacte ac melle* fluat. Vnde rursus consequatur, more, apud Iudaeos vsitato alendum educandumque puerulum istum. Cumque tenuissimae fortis hominum liberi in Iudaea hac ratione nutriripotuerint, humilem & abiectam domus Dauidicae, isto tempore, quo ex ea proditurus sit Messias, subinui conditionem. In eandem ingreditur sententiam CAMPEGIVS VITRINGA, * vt propriam verborum itidem minime deserendam significationem existimet, sequentiaque verba: *לרעהו מאוס ברע ובחור בטוב* ita cum illis connectat: *donec nouerit spernere malum ac eligere bonum*; nec tamen eum in finem praecipue haec adferri censet, vt eum, qui ex virgine nasciturus esset, verum fore hominem condoceamur, qua de re istius temporis homines pii non dubitauerint, quamquam & non neget, colligi id inde posse; sed vt iis ista inseruirent, quae in sequentibus propheta dicere voluerit. Primo nimirum, & praecipue prophetam hoc consequens memorare, ait, non quidem propter se, sed *ναὶὰ τὸ συμβεβηκός*, per accidens, vt dicitur, vt connecteret haec verba cum sequentibus, in quibus interuallum, quod a natalibus Messiae fluere vsque ad tempus, quo secundum naturae legem, gauderet usu rationis, compararet cum interuallo, quod interesset inter praesens tempus & interitum duorum regum aduersariorum, Pecacbi & Resinis; quam comparationem commodè instituire non poterat, nisi praemonuisset, Messiam primo infantiae & pueritiae tempore omnia nobiscum habiturum communia; lacte & melle ad aliorum infantium exemplum nutriendum, nec mox integro rationis usu gauisurum, sed pro aliorum infantium more, vim rationis se cum tempore & profectu aetatis esse exerturam etc. Adde porro, prophetam velut in ecstasi raptum velle comparari statum temporis, quo educaretur IMMANUEL cum statu Iudaeae vsque ad excisum regnum Syriae.

Haec an aliis sese probatura sint? nescio. Mihi nondum ita expedita videntur, quin, si clariora planioraque ab aliis proponantur, ea praeferenda censeam. Res omnis eo redit, an quae de butyri & mellis esu dicuntur, in propria accipienda sint significatione. Varia autem, quo minus id fieri queat, obstaro video. Non vrgebo, quod viri isti docti, quibuscum nobis res



est, adsumunt, butyrum & mel, quotidianum maximeque vsitatum puerorum in Iudaea cibum fuisse, nondum adeo euietum esse, vt de eo dubitari nequeat. Tamen enim non semel de Palaestina dicatur, terram hanc *lacte & melle fluere*; de insigni tamen hoc solum eius fertilitate intelligendum esse, constat, vt adeo quotidianum mellis in infantibus alendis vsu inde colligere non liceat. Quae SAM. BOCHARTVS,* ad quem CAMPEGIVS VITRINGA prouocat, de lactis & mellis esu differit, parum aut nihil ad rem faciunt; immo dum mel infantili aetati conuenire probat, hoc ipso vtitur Esaiæ effato, de quo disceptationem instituimus. Maioris momenti illud est, quod ratio subnexa, vt *sciat eligere bonum, & spernere malum*, proprium istorum verborum sensum non admittat. Quid enim butyri & mellis esus ad istam vim animi, qua quis bonum eligit malumque spernit, conferat? Non equidem nescio, virum doctissimum praefixum ל in verbo לֹדַע vertere per *donec*: vt sensus sit: *donec nouerit spernere malum & eligere bonum*; prouocatque ad septuaginta interpretes, qui reddiderunt: $\text{ἐπιὴν ἢ γινώσκῃ αὐτὸν}$, *antequam sciuerit*; & ad chaldaicum: $\text{עַר לָא יִדַע עַל־מַלְאָכָא}$ *priusquam nouerit puer*. Immo & loca quaedam profert, in quibus eadem praefixi istius ל obtinet significatio. At rariorem eam esse, minusque frequentem, vsitatissimam contra eam qua causam denotat, haud difficulter fatebuntur omnes, qui non hospitem plane ex hisce litteris retulerunt animum. Hanc vero ceu naturalem & genuinam cur hic deserere debeamus, nullam rationem video. Suffragatur nostrae sententiae, quod ipse vir clarissimus agnoscit, HIERONYMVS, qui transfert: *ut sciat reprobare malum, &* IM. TREMELLIVS atque FRANC. IUNIUS, qui reddunt: *butyrum & mel faciet comedamus ut sciat etc.*

Quantumuis autem CAMPEGIVS VITRINGA, sententiam SEBASTIANI SCHMIDII,** verba haec de donis spiritualibus, in Christum, vt hominem spectatum, collatis, interpretantis, non sine supercilio quodam reiiciat; haec ipsa tamen est, quam reliquis omnibus praefereendam esse, arbitror. Cum enim verba ista in propria significatione, vt ostendimus, accipi commode nequeant, quid tandem superest aliud, quam vt tropice capiantur? aut quid vetat, quo minus hoc fieri debeat? Forte sen-

* in *hierozotic. part. I. lib. II. cap. XLV. p. 473. & part. II. lib. IV. cap. XII p. 555.*

** in *adnet. ad h. l.*



sensus inde resultat, qui Christo non conueniat? immo, quo aptior concinniorque inueniri nequit. Idque vt pateat, nemini obscurum esse putamus, *mel* saepissime in scriptura sacra, ceu doctrinae, & quod eo comparatum est, verbi diuini symbolum commemorari. Sic *psalm. XIX. II.* verbum Dei dicitur *pretiosius auro, & dulcius melle ac fauo mellis*. Et iterum: *quam dulcia sunt palato meo eloquia tua, prae melle ori meo, psalm. CXIX. 103.* Ipsa quoque sapientia, ob suauitatem pariter ac salubritatem, cum *melle & fauo mellis* comparatur, *prou. XXIV. 13.* & de sermone amabili ac prudenti, qualis docentium esse solet, certe debet, dicitur: *suauis mellis sunt verba iucunda; sunt enim dulcia animae ipsius, & sunt sanitas ossium; prouerb. XVI. 24.* Hoc cum etiam MATTHIAS FLACIUS illyricus obseruasset, loci quoque nostri, de quo disputamus, mentionem iniicit, seque antea quidem docuisse fatetur, verba, *butyrum & lac comedit*, communem viuendi morem significare, & cummunium rerum bonarum ac etiam malarum totiusque vitae illius experimentum habere; *sed quia*, inquit, *eodem capite, v. 22. ponitur ea loquutio, pro omni delicatiora vita; sicut & supra monuimus, mel summam delicias notare, ideo possis per eam accipere expositam eius pueri educationem; nempe spiritualibus deliciis & alimentis, institutioneque constantem, ex qua veniat illud praestantissimum iudicium, discernendi bonum ac malum. Nam praestantem quandam educationem, quae simul & institutionem complectitur, oportet esse, quae & Meschiae tribuatur, & sit causa tam praeclarae sapientiae.** Pari ratione & lactis, ex quo butyrum conficitur, voce haud raro doctrina, & institutio significatur. *Γάλα ὑμᾶς ἐπόησα*, inquit apostolus *I. Cor. III. 2.* & iterum, Ebraeos adloquens: *καὶ γεγόνατε χρείαν ἔχοντες γάλακτος, καὶ οὐ σερῆας τροφῆς. πᾶς γὰρ ὁ μετέχων γάλακτος, ἀπειρος λόγῳ δικαιοσύνης, νήπιος γάρ ἐστι; Ebr. V. 12. 13.* Sed & Petro doctrina euangelii *λογικὸν ἄδολον γάλα* audit *I. ep. II. 2.* Quae omnia eo minus ab instituto aliena sunt, quoniam & vox ΠΝΩΠ qua Esaias in nostro oraculo vtitur, obseruante ipsomet CAMPEGIO VITRINGA, non tantum *butyrum*, sed & *cremorem lactis* significat, qui & *genuinam hanc esse vocis significationem*, addit.

Atque huc forte etiam respexerunt veteres christiani, dum in baptismo mellis atque lactis quemdam usum esse voluerunt.

Sua

* in clauis scripturae voc. meli. p. 649.



Sua iam aetate id vſitatum fuiſſe, auctor eſt TERTVLLIANVS, ** dum, *ter mergit amur*, inquit, *inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam praeguſtamus*. Et alibi *** de Marcionis Deo ita verba facit: *Sed ille quidem nec aquam reprobavit creatoris, qua ſuos abluit, nec oleum, quo ſuos ungit, nec lactis ac mellis ſocietatem, qua ſuos infantat*. Saeculo quarto eundem adhuc receptum fuiſſe morem ex concilio Carthaginienſi, anno CCCXC VII congregato, conſciimus, quippe in quo inter alia ſancitum legimus: * *Primitiae, ſeu mel & lac offerantur, ut ſolent, vno die ſolenni, ad infantium myſterium*, id eſt, ut infantibus deguſtent lac & mel poſtquam tincti & uncti ſunt. Mentionem eiſdem rei facit HIERONYMVS, ** qui tamen alibi, *** in oriente hanc conſuetudinem receptam fuiſſe, adſerit, cum in occidente pro lacte vinum dederint. Sed & in ſequentibus ſaeculis veſtigia iſtius ritus inueniſſe nonnulli ſibi viſi ſunt. Qui primi iſtius inſtituti exſtitere auctores, haud dubie indicare voluerunt, cum baptiſmo coniungendam eſſe, quam primum per aetatem infantum id licuerit, doctrinam euangelii, quae ut fouendae alendaeque non minus quam excitandae fidei inſeruiat, ita ob ſuauiſſimam ſalubritatemque merito ſit commendanda; adultis vero, ut animo ſimplici omniſque fuci experte, infantum inſtar, cibum huncce ſpiritualem, ceu ſuauiſſimum ſaluberrimumque, acciperent, in memoriam reuocare.

Atque in hominibus quidem inſtitutio doctrinaeque, ceu lactis & mellis, communicatio, vnica, certiffimaeque, ad animum ſapientia, omnibusque virtutibus exornandum, via eſt. At in virginis iſto filio, IMMANVELE, paullo aliter ſe rem habere, cogitandum eſt. Idque ut recte intelligamus, de humana eius hic nobis ſermonem eſſe natura nos meminiffe oportet, cum ad illam qua diuina gaudet ἐξοχήν nulla perfectionis fieri queat acceſſio. Humana vero iterum ita primum ſpectari poteſt, prout in ea πάν τὸ πλῆρωμα πῆς θεότητος ſωματικῶς habitat; tumque ut reliqua omnia, quae Deo propria ſunt, ita & diuina infinitaque ſapientia, per ipſam vnionem ὑποſταſτικὴν cum ea

com-

** lib. de corona milit. cap. III.

*** lib. I. adu. Marcionem cap. XIV.

* concil. eccleſ. afric. c. XXXVII. in GVIL. VOELLI & HENRICI IVSTEL.

LI bibliotheca iuris canonici veteris tom. I. p. 348.

** adu. Luciferianos, tom. IV. oper. part. II. p. 284. editionis IO. MARTIANAEI.

*** in cap. LV. Eſaiae, tom. III. oper. p. 402.



communicantur; vnde in Christo absconditi esse dicuntur *πά-
 ρας οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως*, Coloss. II, 3.
 Deinde vero & si humana Christi natura seorsim consideretur,
 in eam itidem quidquid virtutum, quidquid donorum eximiorum
 cogitari potest, quam copiosissime collatum, vt credamus par est.
Vnctus ideo oleo laetitiae dicitur, prae consortibus; psalm XLV, 8.
 Ea nimirum id factum ratione, vt sensim proficeret in sapien-
 tia, ceterisque virtutibus, ac incrementum caperet. Nec enim
 dubitare ea de re nos sinunt disertissima Lucae verba *cap. II, 52.*
 De modo autem, quo dona ista diuina praestantissimaque in ma-
 iori semper cum eo communicata sunt copia, si quaeras, non
 alio, quam ipso sancto spiritu, cum vsum magistro, nouimus.
 Nec tamen verbi diuini meditationem continuam hic excluden-
 dam putamus; quin potius hanc ipsam speciatim per *butyri &
 mellis esum* a propheta designari, existimamus. Ita omnia rectissi-
 me sibi constant, & ex recepta in scriptura loquendi ratione, quid
 mel, quid butyrum siue lac sibi velit, cognoscitur. Et ita quo-
 que nobis virginis hicce filius exemplo suo viam ad veram sa-
 pientiam perueniendi monstrauit.

Cum enim dicitur: *vt sciat repudiare malum & eligere
 bonum*, id quod sapientiam vocamus indicatur. Nec enim aut
 aptius, aut concinnius vera eius ac genuina notio exprimi pot-
 erat. Eum enim qui mala a bonis rite discernere nouit, vt
 illa fugiat, haec amplectatur, viri sapientis nomen promereri,
 & ratio dicitur, & omnes vno fatentur ore. Si quis contra
 mala reputet quae bona sunt, & quae mala, existimet esse bona,
 aut si mala etiam a bonis rite discernat, haec nihilosecius dimit-
 tat, & illa complectatur, stultitiae eum non effugere infamiam,
 certum est. Ex gentilium philosophis id quodammodo perspe-
 xit SOCRATES, quippe qui, teste SENECA,* *totam philo-
 sophiam reuocauit ad mores, & hanc summam dixit esse sapien-
 tiam, bona malaque distinguere.* Recte utique dixit, summam
 esse hanc sapientiam *bona malaque distinguere*, tantum adden-
 dum: *vt bona amplectamur, mala fugiamus.* Saepe enim con-
 tingit, vt homines bona a malis distinguere sciant, & nihilose-
 cius mala eligant, suamque hac ratione prodant stultitiam.
 Quemadmodum autem ex ignorantia aut intellectus corruptione
 oritur, si quis bona esse credat, quae mala sunt, & mala rursus
 quae sunt bona; ita si quis discrimen hoc perspectum cognium-

B

que

* ep. LXXI. p. 111. 263.



que habeat, & nihilofecius in mala magno animi impetu feratur, illum prauorum adfectuum adhuc obnoxium esse imperio, suisque non posse modum ponere cupiditatibus, manifestum est. Vnde rursus consequitur, ad sapientiae laudem neminem adspirare posse, nisi qui ea rerum humanarum diuinarumque cognitione est imbutus, quae malorum bonorumque discretioni sufficiat, voluntatem vero simul ita emendatam & a vitiorum sordibus purgatam habeat, vt nihil obstet, quo minus promte quae mala sunt fugiat, atque euitet, confectetur contra & amplectatur, quae bona esse cognouit.

Haec si paullo adcuratius pensitemus, statim patebit, IMMANVELEM nostrum non modo sapientissimum omnium, sed ipsam quoque sapientiam iure meritoque dici, idque diuinum vatem, verbis: *vt sciat spernere malum & eligere bonum*, nos condocere voluisse. Idem equidem, si vt Deus spectetur, eminentissima quadam ratione *sapientia* vocatur, eo quod diuina sapientia tum in rerum omnium creatione, tum in humani generis redemptione, per eum ceu filium Dei, luculentissime se conspiciendam praebuit. Exploratumque omnibus est, qui ad lucem clarissimam oculos claudere nolunt, cum Salomo *proverb. I, 20. & cap. VIII, 1. seqq.* de sapientia loquitur, ipsum per eam designari filium Dei. De *ὁ σοφός* enim quadam ibi sermonem esse, dubitari prorsus nequit, cum non modo ante mundum conditum fuisse *v. 22.* sed & apud Deum existitisse, *v. 30.* & quidem per generationem, *v. 22. 24. 25.* diserte adseratur. Idque olim, cum inter Arianos patresque Nicaenos de Christi seruatoris nostri diuinitate disceptaretur, adeo vtrunque extra controuersiam positum fuit, vt nullum superesset dubium. Immo & ante-Nicaenorum patrum eandem fuisse sententiam, IUSTINI martyris, CLEMENTIS Alexandrini, aliorumque, si opus esset, comprobari posset testimoniis. Nihil porro luculentius, quam cum *sapientia Dei*, prophetas & apostolos misisse *Luc. XI, 49.* dicitur, quod de se ipsemet Dei filius interpretatur *Matt. XXIII, 34.* Non minus tamen etiam IMMANVEL noster ceu homo spectatus, omnium sapientissimus, immo ipsa sapientia dici meretur; idque non solum ob habitans in eo *πᾶν τὸ πλήρωμα Ἰησοῦ Θεοῦ*, sed & ob donorum virtutumque praestantiam, quibus humana natura in se spectata instructa fuit atque exornata. Enimvero cum intellectui
cuius

eius ad rerum omnium consummatam cognitionem, scientiamque defuerit nihil, cum in voluntate summa sanctitas, & quidquid virtutum cogitari potest, eluxerit; non potuit non eiusmodi inde efflorescere sapientia, quae ceteroquin in vllum mortaliū non cadit. Quare semper quod malum est repudiavit, & quod bonum est, elegit.

Hanc vero dum in Christo admiramur, piaque mente veneramur sapientiam; id quoque nos cogitare decet, cum *nobis factum esse sapientiam*, I. Cor. I, 30. ut adeo qui verae sapientiae particeps fieri cupit, nullibi eam quam in Christo quaerere debeat. Cum nimirum omnia quae bona, quaeue nobis salutaria esse possunt, in Christo inueniantur; is demum recte sibi consulit, recteque sapit, qui reliquis omnibus spretis, Christum vera fide ac sincero corde amplectitur, omnemque in eo vnice adipisci cupit salutem. Ita namque summam omnium bonorum consequitur, cum contra quae a Christo auertunt animum, non possint non mala censerī. Sed *sapientia quoque nobis factus est Christus*, dum quae fugere, quaeue consecrari debeamus, docuit, nec docuit tantum, sed exemplo quoque suo monstravit. Tota namque seruatoris eo tendit vita, ut se eum ostendat, qui *spernere malum & eligere bonum* didicerit: sapientiaeque adeo perfectae ac consummatae nobis relinquat exemplum. Errantque magnopere, qui alibi se inuenturos putant, quae cum ista verae sapientiae imagine, quae tum in doctrina tum in vita Christi elucet, comparari queant, nedum ei praeferri debeant. O! caecos itaque miserosque mortales! qui gentiliū philosophorum aduocant exempla, illosque cum Christo contendere non erubescunt; nimirum tenebras cum luce, stultitiam cum sapientia, homines vitiorum sordibus inuolutos impurissimosque cum ipsa virtute ac sanctitate. Si quid enim in gentiliū philosophorum scriptis dictisque occurrat, (de vita enim moribusque nihil dicam) quod speciem sapientiae habere videtur, vix umbra existimanda est, si cum ea, quae in Christo conspicitur, & a Christo omnibus offertur, comparatur sapientia.

Non exigua eruditionis laus est; at longe maior sapientiae. Eruditissimus enim quisque miserrimus esse potest, cum sapiens nemo sit, qui non simul felix sit atque beatus. Incommoda enim huius vitae atque res aduersae, quibuscum viris sapientibus interdum colluctandum est, tantum abest ut eorum



beatitudinem imminuant, ut augeant potius. At de ista, quae, ut Iacobus loquitur, *ἀνωθεν* est, loquor sapientia, quamue homines a diuino spiritu non collustrati, frustra sibi vindicant, quaeue eodem apostolo teste *πρῶτον μὲν ἀγνή ἐστιν, ἔπειτα ἐπιρηνική, ἐπεικὴς, εὐπειθής, μετῆ ἐλέως, καὶ καρπῶν ἀγαθῶν, ἀδιάκριτος καὶ ἀνυπόκριτος; cap. III, 17.* Ad quam quidem veram ac genuinam sapientiam si iuuenes perducere adniterentur, qui in scholis & academiis docentium funguntur munere, tum quidem facerent, quod Deo gratum, ipsis autem honorificum & salutare foret. Immo & tum de illis dici posset, quod *butyro & melle* teneras pascerent mentes, ut discerent *spernere malum ac eligere bonum.* Quid vero ab illis exspectes, qui dictis factisque, totaque vitae ratione, immo ipsa doctrina ad deuia ac praecipitia ducente, ostendunt, quam procul ipsimet a vero absint sapientiae studio? Videbunt vero & ipsi litterarum cultores, lectissimique iuuenes, quam ingredi viam debeant, si recte sibi prospicere cupiant. Ea eligenda omni que consecretanda sunt cura, quae ad veram nos ducunt sapientiam; reliqua omnia, si non omnino mala sint, inter vana collocanda sunt, atque inania. Cumque verbi diuini meditatio diligens seriaeque vtramque hic faciat paginam, ut discamus *spernere malum & eligere bonum;* cumque summam in ipso Christo inueniamus sapientiam; quid vobis, o! ciues optimi, hoc praesertim tempore agendum sit, facile perspicietis. Verbi autem diuini dum vobis commendamus meditationem, ut sapientiam inde referatis; vestri simul officii esse intelligitis, gratum erga eos, qui in sermonibus sacris illud proponunt, re ipsa testari animum.

P. P.

FERIA I.
 NATIVITATIS CHRISTI
 A. MDCCXXV.

(L. S.)

